



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor  
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et  
Divortiis, Dissertationes Tres**

**Meier, Johannes**

**Amstelædami, 1688**

Q. V. An defunctæ socrus sororem ducere licitum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40272**

non sit intelligendum, respectu Dei, qui non cogebatur unum par hominum creare, cum sua potentia myriadas producere potuisset, sed ratione hominum creatorum, quos hæc necessitas urgebat, ut non nisi sorores ducere possent. Ad exemplum reliqua in sequentibus respondebimus. Nec quæcunque Abraham patravit, omnia sunt probanda & imitanda, cum patres non minus legem naturæ in multis obliti fuerint, ac Paulus Rom. VII. 7. Quod pluribus probatum invenimus *Dissert. 1. Sect. III. Cap. IV.* Conjunctionem cum sororis filia jure divino esse prohibitam, hic etiam satis probatum esse remur. Ut ergo non nimii scrupuli sine fundamento moveri debent, ita etiam non nimis extendendum jus dispensandi in gradibus, qui prohibiti sunt.

XVII. *Questio quinta* sequitur, An defunctæ socrus sororem ducere licitum? *Resp.* Quia socrus soror aliquo modo referri potest ad Lev. xviii. 12. ubi turpitudine sororis patris prohibetur, cum illa sit mihi instar matris, sicut cum Cypræo Frid. Balduinus judicavit, apud Dedeken. *Theol. Consil. Vol. III. L. III. Sect. 11. Tit. 3. Num. 17.* & Casp. Eras. Brochmandus *Syst. Theol. de Conjugio, Cap. IV. q. 44.* *Meliorum Theologorum sententia est, inquit, quod non liceat ducere defunctæ uxoris matris seu socrus sororem, Fundamentum sententiæ est, prohiberi Lev. xviii. v. 12. conjunctionem cum sorore Patris, qui est secundus gradus lineæ aequalis. Ea itaque lege interdicta sunt nuptiæ cum sorore socrus, quia socrus instar matris est. & honestas huic matrimonio contrariari videtur; Ideo, si res adhuc integra, illud matrimonium non facile permittendum. Negativam sententiam etiam inveni in Consiliis Theol. Wittenbergensibus.*

XVIII. *Questio sexta* est, An viduo defunctæ uxoris fratris sive sororis filiam ducere fas sit? Nonnulli affirmant, plures tamen negant. Et si leges, quas sumus interpretati, recta lance ponderemus, negativum responsum præferendum esse, liquebit. Cum enim maritus in unum corpus ac unam personam coalescat cum uxore sua, sequetur, uxoris propinquos etiam esse mariti propinquos. Ut enim sororem ducere non licet, ita nec uxoris sororis nec uxoris fratris conjunctio licita est; et si gravius crimen committat, qui cum sorore, quam qui cum uxoris sorore conjungitur. Quam propinqua mihi ergo est sororis filia, tam propinqua mihi etiam est uxoris sororis filia. At qui sororis filia interdicta censetur Lev. xvi. 11. ut *Quest. IV.* probatum dedimus; quandoquidem tam propinqua mihi  
soro-